





Zwischen Dritt, Pfälzer

1<sup>30</sup>



XXXX *Programma gymnasii Friburgensis*  
1747 - 1751  
auctore M. Fr. Gottl. Bidermann.



1-X

**TEMPLA  
CONCORDIAE  
PACI  
SACRA  
DELINEAT  
AD ORATIONEM**

A. D. XII. CAL. MART. A. R. G. MDCC XXXXVIII  
**PUBLICE HABENDAM**

MOS. OBSERVANTER INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**  
RECT. GYMN. FREIBERG.

---

Litt. CHRISTOPH. MATTHAEI,

**C**oncordiae ornamentum cum optimum quinque delectat, tum imprimis scholae nostrae, ob singulare beneficium, hoc nomine collatum, commendabile esse videtur. Et quia hoc ipso, quem nunc agimus, anno, omnia Europae principum consilia eo spectant, ut, compositis bellis, publica tranquillitas revocetur; ab instituto nostro alienum non erit, de templis veterum, CONCORDIAE et PACI dicatis, ita exponete, ut intelligamus, nobis non minus conuenire, memoriam tanti beneficii diuinis auspiciis ante saeculum restituti, pie recolere, quam justum et aequum veteres duxerunt, rebus feliciter pacatis, Concordiae et Paci certa templa consecrare, admiratione dignissima.

Nam apud priscas gentes, quamvis natura immanes et feras, PACIS et CONCORDIAE numina in tanto pretio erant, ut ominus generis honore illa prosequi conniterentur. Iam enim memoriae causa coronas iis necabant, a) jam aras exstribebant, b) jam numos cudentes curabant; c) jam publica festa instituebant. d) Praecipue autem aedes sacrae, CONCORDIAE et PACI publice positae, in monumentis antiquis perhonorifice commemorantur.

Et quod quidem ad CONCORDIAE aedem attinet, illius vestigia cum in Graecorum tum Romanorum antiquitatibus expressa reperimus. Iam dudum enim Constantinopoli, augusta quondam Graecorum Imperatorum sede, singulare templum Concordiae sacrum extitisse, PETR<sup>R</sup> GYL<sup>I</sup>V<sup>S</sup> topiosis verbis docet. e) Et hac mente dii gentilium in vetustis inscriptionibus σεαργητῆς ἐγίνεται adpellantur. f)

Multo autem insignior erat honor, quo Romani hanc CONCORDIAM adsciebant. Quam pro dea religiosissime cultam fuisse, testis est OVIDIUS, ita canens; g)

Ianus adorandus, cunique hoc Concordia mitis. Et paucis interiectis; h)

Venit Apollinea longas Concordia lauro

Nexa comes, placid<sup>t</sup> Numen opusque ducis.

Et

- a) Car. Paschalini de Coron, L. VII, c. IV, p. 465. b) Plutarch, in Cim. et Corn. Nep, in Timoth. c II, §. 2. c) Jac. Oiselli Thesaur. Numisim. LXXI, d) Plin Hist. Nat. LXIV, in Prefat. Ad quem locum Dalecampius in Notis: quo die Romani pacem cum hoste faciebant et vota, ab omni opere abstineret, Pax festa dicebatur. e) in Bosphor. Thrac. L. III, c. 8. f) Reines. Inscript. Cl. VI, nu. 101. g) Fast. III, 8 & 1. h) Fast. VI, 91.

Et hujus quidem cffigiem representabant iuueniculam, dextra cratorem, sinistra autem manu cornu copiae vel sceptrum tenentem. Quod simulacrum quum aliquando C. CASSIVS, censor, in curiam transfliset, et ipsam curiam CONCORDIAE dedicare vellet, CICERO hoc institutum plenum iustitiae, sapientiae, et dignitatis, auctoris autem voluntatem praeclaram atque laude dignissimam pronuntiabat. i)

Huius igitur honori varia templa Romae exstructa fuisse, rerum Romanarum scriptores uno ore adfirmant. Et primum quidem L. M A N L I V M, Galliae praetorem, ob exortam militum seditionem ilijud instituisse, ex LIVIO auctore discimus. k) F V R I V M autem C A M I L L U M, dictatorem, templum huius nominis et voviisse, et a populo Romano ad votum solvendum adductum fuisse, PLVTARCHVS comminorat. l) Postea Iulio Caesari ab senatu permisum fuisse, ut noua CONCORDIAE aedes excitaretur, D' O certiores nos facit. m) Interiecto tempore L I V I A M idem consilium et suscepisse et perfecisse, OVIDIVS docet, his usus verbis: n)

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede

Liuia, quam caro praefit illa viro.

Et eiusdem filium, T I B E R I V M, matris laudabili exemplo exstrialumatum, idem tentasse, poeta iam adlegatus suo testimonio confirmat; o)

Inde triumphatae libasti munera gentis,

Templa que fecisti, quam colis ipsa, deae.

Neque ignobile fuit, quod CAI, FLAVIVS, Cn. filius, erexit, templum, et CCCIV. annis post aedem Capitolinam exstruxit. Et huic quidem erigendo ordines populo reconciliatos locum dedisse, PLINIVS docet, p) qui simul addit, quum ad illud perficiendum pecuniae publicae non decernerentur, ex multa feneratorum id factum fuisse. Haec autem aedes collapsa ab OPIMIO consule summa cum populi indignatione restaurata fuit, quippe cuius valuis homines malevoli nocte aliquando haec verba adscriperant:

OPVS VECORDIAE TEMPLVM CONCORDIAE FECIT. q)  
Supra huius aedis tecto multas idemidem eiconias, aues amoris et concordiae indices, veluti diuinis auspiciis, nidos composuisse, IVVENALIS his verbis testatur: r) Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

Et de hoc templo cum LIVIVS, s) tum CICERO magnifice loquuntur. Et hic quidem, ubi id agit, ut, veluti leuato sipario, ANTO-

i) Orat pro domo sua, c. LI. k) L. XXII. 17. l) in Camill, p. 68. m) L. XXXXIII.

n) Faft. VI. 677. o) Faft. I. 647. conf. Cl. Taubneri not. p. 355. p) l. c.

q) Plutarch. in Tiber. et Gracch. p. 160. r) Sat. J. 107. s) L. XXII. 33.

**N**III flagitia conspicienda exponat, illi, ad honorem huic templo vindicandum, haec objicit: t) *Illud vero teterimum auditu, non modo ad spectu, in cella Concordiae collocari armatos, latrones, scarios, &c.* Praeterea sacerdotes, sacris in hac aede operantes, qui *Concordiales* audiebant, in tanta erant dignitate, ut reliquos ordinis sacri viros anteirent, et Pontificis loco colerentur. u)

Huius templi vestigia, licet pristinis ornamentis extuti, nostra aetate adhuc supereesse, testis est vir celeberrimus, I. G. BERGERVS, qui suis ipsis oculis Romam Romae desiderata usurpauit. Vbi enim Capitolium perlustrauit, octo columnas confexit, quas AEDI CONCORDIAE a peritioribus tribui, adfirmat. w)

Sunt, qui ex ruderibus templi CONCORDIAE, PACIS templum constructum esse, perhibent. x) Et sunt, qui aedem Concordiae eadem in regione positam fuisse, statuunt, quae Pacis templum complexa fuit. y) Igitur ab ea digressi, ad hoc oculos et cogitationes nostras nunc transferamus.

Quemadmodum Romani olim BELLONAE z) itemque MARTI, cique tam pacifero, quam bellatori singularia fana atque delubra fecerant, quorum illud in urbe, hoc extra illam in via Appia collocatum erat; a) ita tanto maiori religione PACIS templa prosequabantur, quanto praestantius pacis beneficium esse intelligebant, quod poscimus omnes. Et Romanos quidem ut alia multa, ita etiam haec sacra a Graecis accepisse, quos PLVTARCHVS solvendis et componendis bellis aptissimos vocat, b) vero videtur simillimum. Constat enim, TIMOTHEVM, Atheniensium imperatorem, superatis Lacedaemoniis, tantam ciuibus suis laetitiam hac victoria attulisse, ut CORNELIO NEPOTE teste, c) tum primum aera PACI publicae sint factae, eique deae pulvinar inslitutum. Licit enim PLVTARCHVS primum hunc honorem CIMONI deferat, et eum Athenis post victoriam ad Eurymedonta contra Persas aram Paci et Apollini consecratus, adfirmet: d) ex eo tamen adparet, quo loco Graeci PACEM habuerint, et quanta obseruantia coluerint numen illud diuinum.

Primus

t) Orat, Philipp. V.7. u) Serrarius Vrsatus de Notis Romanor, in Graevii Thesaur. Antiquit. Rom. Vol. XI. p. 638. w) in Stromat. Academ. p. 23. x) Andr. Scorus in Itinerar. Ital. P. II. p. 17. y) Barthol. Marrianus in Urbis Romi Topographia, L. II. c. 16. z) Strabo L. XII. p. 914. et Hirtius Bell. Alex. c. 66. a) Iac. Osielli Thesaur Sel. Numism. p. 197. b) in vit. M. Crassi p. 232. c) in Timoth. c. II. d) in Cimon. p. 202. conf. Joseph. Laurentius de prandio et coena veterum, cap. XII.

Primus autem inter Romanos fuit Imperator TITVS Fl. VESPA-  
SIANVS, qui hoc pietatis officio defungeretur. In quo quemadmo-  
dum SVETONIVS singularem docilitatem ad omnes fere cum belli-  
tum pacis artes admiratur: e) ita post insigne illam victoriam a Iu-  
daeis reportatam, anno recuperatae gratiae LXXVI. splendidissimum  
PACIS templum aedificabat. Quod factum SVETONIVS, f) PLINIVS, g)  
JOSEPHVS, h) VOSSIUS, i) LANDVS, k) et alii, meritis laudibus ex-  
tollunt. Fallitur igitur et fallit diligentissimus alias antiquitatum Roma-  
narum venator, lo. ROSINVS, quum illud templum ab Imp. Claudio  
incoatum, a Vespasiano vero consummatum esse, pronuntiat, l) procul  
dubio Suetonii verbis deceptus, qui: *ficit noua opera*, inquit, *templum  
Pacis foro proximum: diuinae Claudi, in Coelio monte, coepit quidem  
ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus debructum.* Loquitur enim  
Suetonius de alio quodam Claudi templo, non Pacis. Neque vero au-  
diendus est CLEMENS ALEXANDRINVS, qui iam a Numa PACIS  
templum aedificatum fuisse, adfirmat; m) quum non solum scriptores  
ceteri, res a Romanis gestas solerter persecuti, hoc ignorent, sed etiam  
TERTVLLIANVS disertis verbis repugnet, ita disputans: n) Etsi a Nu-  
ma concepta est curiositas superflitiosa, nondum tamen aut simulacris  
aut templis res diuina apud Romanos constabat. Quae quum ita sint, Ve-  
spasiano merito haec gloria est vindicanda, quod primus apud Roma-  
nos omnium publicum Pacis templum fecerit.

Cur autem alii ante hunc Imperatorem ad tam laudabile institutum  
animum non induxerint, quum tamen iam saepius, hostibus grauissimis  
superatis, urbi pax et tranquillitas redditia esset, multi mirantur. Et, si  
quidem BARONIVM audiamus, o) Vespasianus ideo hoc consilium  
fuscepsit, quod Iudeorum adulatioibus inductus, illum regem sele esse  
somniauit, qui in oraculis sacris *princeps pacis* praedictus fuerat et pro-  
missus. p) Quam opinionem et Phil. CAROLI, q) et multi alii ad sensu  
suo confirmant.

Hoc igitur templum, in quarta urbis Romanae regione positum, tam  
commemorabile, tantaque magnificentia erat constructum, quanta hoc  
imperatore digna videbatur. JOSEPHVS certe confirmat, r) quod  
Vespasianus pulchrius meliusque omnium opinione illud perfecerit.

Cum

e) in Vespaf. c. III. f) l. c. cap. IX. g) Hist. Nat. L. XXXVI. c. 15. h) de Bell.  
Iud. L. VII. c. 5. i) de orig. et progress. idololatr. p. 763. k) in Select.  
Numism. Exposit. p. 85. l) Antiquit. Rom. p. 381. m) Stromat. L. V. p. 234.  
ed. Sylb. n) in Apologet. adu. gent. p. 668. o) Annal. Ecel. Vol. I.  
p. 761. p) Ief. IX. 6. q) Antiquit. Rom. L. I. c. VIII. p. 24. r) l. c.

Cum quo HERODIANVS consentit, ita illud delineans: s) Méyison  
καὶ καλλιστον γενόμενον τῶν ἐπόλεις ἔργων, opus cunctorum in tota  
urbe maximum atque elegantiissimum. Admirandam illius structuram  
SERLIVS oculis subiicit; t) AMMIANVS autem MARCELLINVS u)  
inter praecipua urbis Romanae ornamenta hoc aedificium refert. Quid?  
quod PLINIVS w) Hormisdam, Persam, illud, omnium operum praesi-  
stantissimum in paucis admiratum fuisse, adfirmet. Hac mente, quam  
et religione tam sanctum; et operis claritate tam insigne esset hoc tem-  
plum, ut neque par habere videretur, neque secundum, AETERNI co-  
gnomen fortitum fuisse, verba docent, ipsius valuis insculpta; PACI  
AETERNAE, DOMVS IMP. VESP. CAES. AVG. *historia? oīdū*  
Ornamenta autem huius templi singularia JOSEPHVS diligenter  
exponit, qui omnia in eo deposita fuisse, ait, quorum visendorum studio  
ex uniuerso terrarum orbe spectatores confluebant. x) PLINIVS maxime  
illas coronas admiratur, quae ex cinnamomo interrasili auro inclusae  
primae omnium a Vespafiano in hac aede dicatae fuerunt. Alii in aliis  
commemorandis occupantur, quorum dignitate hoc templum mirifice  
exsplendescet. y) Inprimis vero illud memoria dignum videtur, quod  
JOSEPHVS addit, z) vasa et donaria templi Hierosolymitani, a Tito  
direpti, Romanam deuencta, et in hac aede collocata fuisse, praeter legis ta-  
bulas, et purpureum templi velum, arcamque foederis, quorum illud in  
sua ipsius domo custodiendum depositum Vespasianus, hanc vero in tem-  
plo diu Ioannis Lateranensi adleruari iussit. a) His maior in O  
Haec autem decora intermisso tempore a Geneserico, Rege Vanda-  
lorum in Italiam effusorum ad Afros aportata, inde a Belisario triun-  
phali pompa Constantinopolin perducta, et postremo ab Imp. Justiniano  
no iterum Hierosolynam missa fuisse, PROCOPIVS, b) LIPSIVS c) et  
Caeselinorum abbas litteratissimus, IVLIVS MINVTOLVS d) docent.  
Quum igitur tanta huius templi esset dignitas et amplitudo, gra-  
uissima negotia in eo confidere Romani non dubitabant. Constat enim  
omnium artium doctores et magistri in eo ad disputandum conuenisse,  
e) aegrotos recuperandae sanitatis causa eo delatos, f) et ipsos medici  
ibi de valetudine conservanda mutuo colloquitos fuisse. g) Quia  
etiam, ut et maior huius aedis esset celebritas, insignem bibliothecam  
habebat

s) L. I. c. XXXXVI. p. 37. t) in Architectur. L. XXVI. u) L. XVI. c. 10.  
w) l. c. L. XXXVI. c. 15. x) l. c. L. I. c. 37. y) Josph l. c. z) L. XVII. c. 14.  
a) Famian. *Nardinus* in Roma L. III. c. 7. b) de Bello Vandal. L. LXXII.  
c) de magnitudine urb. Rom. L. III. c. 6. d) in Diff. V. de Roman antiquit.  
Sect. II. e) Io. *Womani Polymath.* c. III. §. 10. p. 30. f) *Rosini* Antiqu.  
Rom. p. 381. g) Iac. Phil. *Tomasinus* de Donar. c. XXIV. p. 217.

habebat adiunctam, cuius A. GELLIVS h) meminit, *commentarium, in-*  
*quiens, de proloquiis Lælit, docti hominis, qui magister Varronis fuit, stu-*  
*diose quaestiuimus, eumque in Pacis templo repertum legimus.*

Praecipue vero periculis circumfessi hic suas opes, velut ad asylum, deportabant. Nam sicuti Romani propter securitatem aliis in templis suas pecunias et fortunas deponere solebant: i) ita nominatim aedes PACI sacra huile usui inferiebat. Inter alios HERODIANVS disertis verbis hoc testatur: k) πλεσιάτατον δὲ ἦν, πάντων ἱερῶν διὰ Φάλειαν, αὐλήμασι κεκομηνόν χρυσὸς τε καὶ αργυρός. Enasos γαρ, ἀπὸ χρυ-  
σίσεο ἐθησαντίστο i. e. erat illud opulentissimum, propter securitatem, multoque auro et argento ornatum: quippe unusquisque, quae habe-  
bat, illic velut in thesaurem congregebat.

Sed fuit hoc templum, magnifico adparatu splendidum; fuit, in-  
quam: et, quod Vespasianus aeternum fixerat, opinione celerius diru-  
tum est atque eversum. Quod qua ratione factum fuerit, haud una  
omnium est sententia. Ea nocte, qua natus est Christus, generis hu-  
mani sospitator, sua sponte corruisse, a multis quidem adfirinatur, sed  
male probatur. l) Quomodo enim collabi potuit, nato Christo, tem-  
plum, quod, sicut iam demonstratum fuit, eo tempore aedificatum non-  
dum erat? Igne illud conflagrassè, et cum omnibus suis opibus in ci-  
neres abiisse, imperante Commodo, certum est atque exploratum. Ita  
enim XIPHILINVS: m) πῦρ ἦν τὸ ἐγνῶν ἐμπεσὸν, τὰς αποδήμας  
τῶν τε Αἰγυπτίων καὶ τῶν Αραβίων Φορτίων απνειμάτο, i. e. quum  
ignis in templum Pacis incidisset, omnes Aegyptiorum et Arabum iner-  
ces consumisit. Et hanc quidem flammarum alii fulmine caelitus de-  
iecto excitatae fuisse, statunt. Qua mente PROCOPIVS hoc tem-  
plum κεχωνέθαντον, fulmine disiectum, appellat. n) Alii supposito igne  
concrenatum fuisse, existimant. Adeo autem illud incendium saevie-  
bat, ut, DIONE auctore, o) etiam Vestae delubrum et permulta alia  
aedificia splendidissima flammis absumarentur, quippe quae per aliquot  
dies urbem peruvagatae, prius reprimi non poterant, quam imbre re-  
pentino restinguerentur.

Itaque superbum hoc templum, Pacis nomine commendabile, ad-  
paratu sumtuosum, ornamenti condecoratissimum, sanctitate veneran-  
dum, frequenti celeberrimum, et dinitis refertissimum, nihil praeter  
nomen ad posteritatem transmisit. Quod enim Domitiano Imperatori  
tribuit STATIVS poeta, qui

reddens

h) Noct. Attic. L. XVI. c. 8. i) Cicer. Epist. Famil. L. V. Ep. 20. Jul. Caes. de Bell.  
Ciu. L. I. c. 6. k) L. I. 44. l) Baron. Annal. eccl. Vol. I. p. 46. m) in  
Commodo. n) de Bell. Gothic. L. IV. o) in Commod. L. LXXXIII.

reddens Capitulo Tonantem  
et Pacem propria domo reponens, p)  
Ianum, vicina Pace, ligatum  
omnia iussit componere bella: q)  
id ab aliis rerum gestarum conditoribus ignoratur, certe a SVETONIO, cetera  
templa huius opera instituta recensente, r) silentio praetermittitur. Quare etiam  
CA\$P. BARTHVS, locupletissimus huius poetae commentator, nihil habet, quod  
addat ad verba in medium adlata, praeter hanc: s) videtur mult, tale quid ex-  
fruxisse Domitianum.

Et quis dubiret, magnifica huic aedi idem accidisse, quod ceteris urbis Ro-  
manae aedificiis atque substructionibus stupendis, quorum vel ipsa indicia ex-  
oleuerunt, vel quae rudera conuulta, disiecta, et obtrita quidem, veterem tanac-  
taieftatem in ruinis et vestigiis incredibili sua mole adhuc spirantia relique-  
runt. Ut tamen huius templi memoria etiam apud posteros conservaretur, Por-  
tifex Maximus, PAVLLVS V. unam, quae superfuit ex eius ruinis, columnam,  
eamque marmoream, magno labore et ingentibus sumtibus in Exequias transfe-  
rendam, atque in vestibulo aedis B. Virginis, cognomento Maioris, statuendam  
eravit, quae simulacrum illius Virginis, ex aere confiatum auroque obductum  
ita sustinet, ut in urbem recta ingredientibus utrinque venerabile hoc Pacis  
monumentum statim in oculos incurrat; cuius effigiem affabre depictam ALEX.  
DONATVS t) exhibet spectandam.

Plura restabant, ad hoc argumentum ex antiquitatis latibulis in lucem pro-  
trahendum idonea; euisceranda erant sacrificia, deae PACI et CONCORDIAE  
offerri solita; examinanda signa et symbola utrique familiaria, percensenda sin-  
gularia illa festa, honori illarum insituta; exhibendi numi, in quibus et aedes et  
deae expressae representantur. Sed chartae angustia filum abruppi, et ad id de-  
uenire iubet, quod locum huius scriptio facit. Quippe schola nostra in eo est, ut  
liberale illud beneficium recolat, quod vir, cum aliis virtutibus conspicuus, tum  
in primis munificencia commendatissimus, nunc caelitus adscriptus, IO. CHRI-  
STOPH. RICHTERVS, litterarum alumnus diligentia atque pietate probatus ita  
adsignauit, ut is, qui ex voluntate Amplissimi nostri Senatus ipso Concordiae die,  
sciae olim uxoris nominali, anniversariam orationem e suggesto scholastico ha-  
beret, eo potiretur. Quod pietatis officium, quum hoc anno

SIGISM. ISRAELI BERGEN, Freiberg.

Patris, de publico, quod procurat, munere praecellere meriti, filius erecto ingenio  
praeditus, demandatum accepit, temporis habita ratione, beneficium illud di-  
uinum, quod ante hos centum annos, inita pace Vestphalica, uniuersam Germa-  
niā exhilarauit, animo complexus,

de festis Romanorum saecularibus  
oratione Latina exponet. Vos, Mecenates, Patroni et litterarum Fautores, id cum  
Richterianis manibus tum argumenti dignitati dabitis, quod in nostro oratore  
desiderari videtur, et eras mane, post horam nonam auditam ad renouandam  
Concordiae memoriam co lubricius confluetis, quo diligentius ipsi hanc virtutem  
colitis, praefatis et coimmissandis. Id quod ea, qua decet, obseruantia rogo atque  
contendo, P.P. XI Cal. Mart anni saecularis, quem verba uatis diuini signant: u)

DeVs Coronas annVM opibVs JVIs, argVe eIVs VeftIglaf fILLant plngVIA.

p) Sylu. L.IV. Sylu. III. 17. 18. et Lib. IV. Sylu. I. 13. r) in T. Fl Domit. c. V. s) Ani-  
maduersi, ad Stat. Sylu p 356. t) in Roma vet. et nou. L. III. c. 4. u) P. LXV, 12.

Lectioes vid pay.  
16. #. 31. 40.


Gd 4179

ULB Halle  
005 310 962



3





**TEMPLA  
CONCORDIAE  
ET  
PACI  
SACRA  
DELINÉAT  
ET  
AD ORATIONEM**

A. D. XII. CAL. MART. A. R. G. MDCC XXXXVIII  
**PUBLICE HABENDAM**  
OBSERVANTER INVITAT  
**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**  
RECT. GYMN. FREIBERG.

Litt. CHRISTOPH. MATTHAEI,

VI.

